



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

1 De ecclesia & eius autoritate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

DE ECCLESIA
ET EIVS AVTHO-
ritate prima.

PRIMA PROPOSITIO
trimembris est.



Ecclesia est cor-
pus Christi, Spon-
sa Chri-
sti, Regnū cœ-
lorum, Paulus
Omnia sub-
iecit sub pedi-
bus eius, & ip-
sum dedit ca-
put super om-
nem ecclesiam, quæ
est corpus ipsius, & plenitudo eius,
qui omnia in omnibus adimplet.
Digne ambuletis vocatione, qua
vocati estis eum omni humilitate &
mansuetudine, cū patientia suppor-
tantes

Primū mē-
brum pro-
batur. s. Ec-
clesia est
corp⁹ Chrī
sti.
Ephē. 4.

DE ECCLESIA ET

tantes inuicem in charitate, solliciti
Ecclesia seruare vnitatem spiritus, in vincu-
corpus lo pacis, Vnum corpus, & vnus spi-
ritus, sicut vocati estis in vna spe, vo-
cationis vestrae. Vnus dominus, vna
fides, vnum baptisma. Vnus deus, &
pater omnium, qui est super omnes,
& per omnia, & in omnibus nobis.

Cant. 6 Probatio secundae partis primae
propositionis s. Ecclesia est sponsa
Christi.

Vna. Vna est columba mea, perfecta
Cant. 4 mea, vna est matri suae electa geni-
trici suae. Hortus conclusus, soror
mea, sponsa, hortus conclusus, fons
signatus.

Ephe. 5 Mulieres viris suis subditae sint si-
cut Domino, quoniam vir caput est
mulieris sicut Christus caput eccle-
siae, ipse saluator corporis eius, sed si-
cut ecclesia subiecta est Christo, ita
& mulieres viris suis in omnibus. Viri
diligite vxores vestras, sicut & Chri-
stus dilexit ecclesiam, & seipsum tra-
didit

DEIUS AVCTHORIT. 3

didit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.

De Hierusalem sicut sponsam orna Apo. 21
tam viro suo.

Vos autem estis corpus Christi, & L. Cor. 12
membra de membro. Rom. 12

Sic ergo vna est ecclesia, non est foris, sed intus, sicut vna fuit archa Noë. 1. Petri. 3. quæ fuit figura vnus 1. Pet. 5.
ecclesiæ, extra illam vnã signatã, nemo saluatur, sicut homines extra archam perierunt. Non est bigamus Christus, vna ecclesia apostolorum, & nostra. Ante lutherum natum, erat ecclesia, quæ credidit missam sacrificium, septem sacramenta, &c. illa fuit sponsa Christi. Itaq; iam maneamus cum eadem ecclesia, & non iungamur Ecclesiæ malignantium.
Chri

Applican-
tur superi-
ora

DE ECCLESIA ET

Christus quia diligit ecclesiam sponsam suam, non eam reliquit, nec Dominus nec Mannis, etenim caput quomodo desereret suum corpus tanto tempore? Cum Synagogam minus dilectam ob peccata septuaginta ducentat annis reliquerit, in captiuitate corporea Babylonis, quomodo suam sponsam ecclesiam relinqueret Mannis in captiuitate errorum?

Probatio tertiae partis propositionis, scilicet ecclesia est regnum caelorum.

Mat. 10 Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui existit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Mat. 22 Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare

Mat. 25 inuitatos ad nuptias. Tunc simile est regnum caelorum, 10. virginibus, quae accipientes lampades exierunt obviam sponso, & sponsae, quinq; autem
ex eis

EIVS AVCTHORIT.

ex eis erant fatuæ.

Multas similes parabolas inuenies.

1 Si ergo regnum cœlorum hic dicitur ecclesia, quomodo in regno illo error, & falsitas regnasset mille annis? Regnum cœlorū est regnum veritatis.

Mat. 13

Applicat,

inferēstriā

corollariā

2 Patet Deum semper exire vsque ad vesperam, ad conducendum operarios, cōtra credunt Lutherani neminem conductum à mille annis, nā si eorum idolum Lutherum.

3 Patet ecclesiam hic in via esse collectam ex bonis & malis, quia Christus clare dicit ibi esse virgines prudentes & fatuas, pisces bonos & malos. Vide Greg. in hom.

¶ Secunda propositio.

Ecclesia non errat, non modo, quia semper habet sponsum Christum, Ecclesia sed etiam, quia regitur magisterio Spiritus sancti, ipsam nunquam deserentis.

Ego

DE ECCLESIA ET

Ioan. 14 Ego rogabo patrem meum, & alium
paracletum dabit vobis.

Ioan. 17 Pater sancte, serua eos in nomine
tuo, quos dedisti mihi.

Ibidem Non autem pro his tantum, scilicet
aposto. rogo, sed & pro eis qui
credituri sunt per verba eorum in me

1. Tim. 3 Ecclesia dei viui columna & fir-
mamentum veritatis, quomodo er-
go erraret?

Ioan. 19 Adhuc multa habeo vobis dice-
re, sed non potestis portare modo,
quum autem venerit ille spiritus ve-
ritatis docebit vos omnem verita-
tem. Hic oportet post Euangeliū lu-
theranum ostendat nobis, magisterū
spiritus sancti, hoc promissum
in ecclesia.

1. Ioan. 2 Et non necesse habetis, vt aliquis
vos doceat, sed sicut vnctio eius do-
cet vos de omnibus & verum est,
& non est mendacium. Itaque vn-
ctio sancti spiritus semper docet ec-
clesiam.

Et ecce

Et ecce ego vobiscum omnibus ^{Mat. 28}
 diebus sum, vsque ad consummatio-
 nem seculi, dixit Christus discipu-
 lis, qui est via, veritas, & vita. Li-
 quet ecclesiã, columnam veritatis,
 Christo ductore, & spiritu sancto
 magistro, non errare, quanto minus
 credibile, quod mille annis vniuer-
 sa ecclesia errarit, vt insaniunt Lu-
 therani.

¶ Tertia propositio.

Sicut ecclesia est vna, ita vnitas
 est in ecclesia.

Obsecro autẽ vos fratres per no- ^{1. Cor. 1}
 men domini nostri Iesu Christi vt
 id ipsum dicatis omnes, & non sint
 in vobis schismata, sicut autem per-
 fecti in eodem sensu, & in eadẽ sci-
 entia. Lutherani noua schismata fa-
 ciunt, & tam sibi, quã alijs repu-
 gnant, vt iam dissectus est Caro-
 lostadius, & Luther, & Zuinglius,
 & Catabaptistæ. Non enim dissen- ^{1. Cor. 14}
 sionis est deus, sed pacis, sicut & in

B om-

DE ECCLESIA ET

omnibus ecclesiis sanctorū doceo.

Corollar.

Potius itaq; veram intelligētiam scripturę credendum est deum insp̄rare cōcordi vnitati ecclesię, quā vni priuato homini. Luthero, vel Zuinglio, aut Hofandro, imo sequitur, q̄ id quod sancta mater ecclesia definit, vel exceptat, non sit minori firmitate credendum ac veneratione tenendum, q̄ si in diuinis literis esset expressum.

Rom. 15

Quęcunq; scripta sunt, ad nostrā doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, deus autem solati, & patientię det vobis id ipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christū, vt vnanimis vno ore honorificetis deum, in oratione ad deum. Omnipotens sempiternus deus cuius spiritus totum corpus ecclesię sanctificatur & regitur.

Rom. 12

Paulus post rationē corporis mystici subdit, Id ipsum inuicem sentientes,

entes, non alta sapiētes, sed humili-
bus consentientes.

Si qua consolatio in Christo, si Philip²
qua societas in Christo, implete gau-
dium meum, vt idipsum sentientes,
eandem charitatem habētes, vnani-
mes idipsum sentientes.

Duo mala fecit populus meus, me Hier²
dereliquerūt, fontem aquæ viuę, &
foderūt sibi cisternas dissipatas, que
continere non valent aquas: sic Lu-
therani relinquētes verū, & viuū
fontē ecclesię, fodiunt cisternas dis-
sipatas hæreticorū, Vuikleff, Husz,
Albigentium, &c. Frustra Deus mi-
sit filium, frustra spiritum sanctum,
frustra apostolos, martyres, docto-
res, confessores: si per Lutherum so-
lum, lux veritatis aperiēda erat, cur
Deus non vnū misit Lutherum pro
omnibus?

¶ Quarta propositio. Ecclesia re-
Prelatos & potiores cōgregatos, præsentatū
esse ecclesiam repræsentatiue patet, ua

B 2 Con

DE ECCLESIA ET

3^o Reg. 8 Conuertitq; rex faciem suam & benedixit omni ecclesiæ Israel, omnis enim ecclesia Israel stabat &c. ecce ecclesia Israel, & quod solum fuerit repræsentatiua liquet per initiũ huius, capitũ. Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel, cū principibus tribuũ & duces familiarium filiorũ Israel ad regẽ Solomonẽ &c.

¶ Obijciunt hæretici.

1. Maior est authoritas scripturæ quàm ecclesiæ. Nã ecclesia debet regi secundum scripturam. Verbum enim domini nemini cedit.

2. Non licet ecclesiæ aut vlli homini venire contra scripturam.

3. Illud non dicitur determinasse ecclesia, quod Papa cum cardinalibus & Episcopis determinat, quia ecclesia est congregatio omnium fidelium & cõnexio in vera fide, ex qua viuit iustus.

4. Ecclesia dei solum est in spiritu, quia creditur & ita occulta.

Lu.

5 Luther dicit se esse de ecclesia, & credit apud se ecclesiam, vbi ipse fit ecclesiastes. Sic Zuingli⁹, Caroloftadius. Billican⁹, Stopler⁹, Hiebmair, Pacimontanus &c.

¶ Diluuntur obiecta.

Christus non scripsit aliquem li- De primo
brum, nec præcepit discipulis vel
Apostolis ad scribendum, at de eccle-
sia multa præcepit, vnde missurus
Apostolos ad plantandã ecclesiam,
non dixit, Euntes scribite, sed eũtes Mat. 28
in mundum vniuersum, prædicare
Euangeliũ omni creaturæ. Ideo lex
fuit scripta in tabulis lapideis. Euã-
gelium in cordibus. Quoniam epi-
stola estis Christi, administrata à no-
bis, & scripta non atramẽto, sed spi- 2. Cor. 3
ritu dei viui, nõ in tabulis lapideis,
sed in tabulis cordis carnalib⁹. Con-
cordat. Hier. 33. Ecce dies veniũt di-
cit dñs, & feriã domui Israel, & do-
mui Iuda fœdus nouum, non secun-
dum pactũ quod pepigi cũ patribus
B 3 vestris

DE ECCLESIA ET

vestris, &c. sed hoc erit pactū, quod
feriam cum domo Israel, post dies
illos, dicit dominus, dabo legem me-
am in visceribus eorum & in corde
eorum scribam eam, & ero eis in de-
um, & ipsi erunt mihi in populum.
Hieron. quid necesse est in manus su-
mere, quod ecclesia non recipit.

2 Ecclesia est antiquior scriptura,
quando enim Apostoli inceperunt
prædicare, nulla erat scriptura Euā-
gelij, nulla Epistola Pauli, & tamen
erat ecclesia Christi sanguine de-
dicata.

Act. 1 Sic apostoli sine scriptura noui te-
stamenti elegerunt Matthiam, or-
Act. 5. 6 dinarunt septem Diaconos. Petrus
fecit expirare Ananiam & Saphirā.
Cum apostoli tam diligentes fue-
runt in verbo Dei seminando, & ta-
men paucissima reperiuntur ab eis
scripta, conlectarium est multo plu-
ra, eos docuisse, quàm scripsisse, quæ
parè cum scriptis habēt authoritatē
Scriptu

EIVS AVTHORIT.

Scriptura non est autentica sine Achilles
 autoritate ecclesie, scriptores enim catholicis
 canonici sunt membra ecclesie. Vnde
 hæretico volenti contendere cõ-
 tra ecclesie instituta & consuetudi-
 nes, obijciatur quibus armis velit
 contendere contra ecclesiam. Dictu-
 rus est canonicis scripturis quatuor
 Euangeliorũ, ac Paulinis Epistolis.
 Huic mox obijciatur, vnde sciat, has
 scripturas esse canonicas, nisi ex ec-
 clesia, quare enim credit Euangeliũ
 Marci, qui Christum non vidit, esse
 canonicum, & non euangelium Ni-
 codemi, qui vidit & audiuit Christũ
 vt testatur Ioannes. Sic tur Euange-
 lium Lucę discipuli est receptum, &
 Euangelium Bartholomei apostoli
 est reiectum, nisi humiliter confitea-
 ris ecclesie autoritatem cum bea-
 to Augustino, id quod Luther ali-
 quando docuit, ecclesiam posse iudã
 care de scripturis.

Ita igitur patet ecclesiam antiquio-

B 4 rem

Ioan.

DE ECCLESIA ET

rem scriptura, neq; scripturã auten-
ticam esse nisi ecclesiæ autoritate.
Aug. parte Vnde August. contra epistolam fun-
4. c. 5. damenti: Euangelio non crederem,
nisi autoritas ecclesiæ me commo-
ueret, plura inferius de scriptura ti-
tulo. 4.

De secun- 1 scriptura docet. Memento vt diẽ
do dicitur. sabbati sanctifices, sex diebus opera
EXO. 20 beris, & facies oĩa opera tua, septi-
mo autẽ die sabbatũ domini dei tui
est &c. & tamẽ ecclesiã mutauit sab-
batũ in dominicũ autoritate sua.
super quo nullam habes scripturã.

Mat. 28 2 Christus dixit discip. in monte :
Act. 17 Non veni soluere legem, sed adim-
plere, & tamen ecclesiã Apostolorũ
in concilio pronunciauit audacter
super cessatione legalium.

3 Matthæi vltimo dixit Christus
discipulis. Euntes ergo docete om-
nes gentes, baptizantes eos in nomi-
ne patris, & filij, & spiritũ sancti, do-
centes eos seruare omnia, quęcunq;
man

EIVS AVTHORIT.

mandavi vobis. Hic Christus dedit
 formam baptizandi in nomine tri-
 nitatis explicite, & tamē ecclesia pri-
 mitiua mutavit hāc formam bapti-
 zandi in nomine Christi Iesu. Pœni **Act. 2**
 tentiam agite, inquit Petrus, & ba-
 ptizetur vnusquisq; vestrum in no-
 mine Iesu Christi in remissionē pec-
 catorum vestrorū. Et Actuum octa-
 uo, dicitur quod Samaritani bapti-
 zati sunt à Philippo in nomine Ie-
 su. Et Act. 19. His auditis baptizati
 sunt in nomine dñi Iesu. s. à Paulo.
 4 Scriptura definit in concilio. Vi-
 sum est spiritui sancto & nobis & c. **Act. 15**
 vt abstineatis vos ab immolatis si-
 mulachrorum, & sanguine, & suffo-
 cato, rem tam clare definitam & ex-
 pressam, ecclesia sua authoritate mu-
 tauit, quia & sanguine & suffocato
 utitur. Ecce potestas ecclesiæ super **Vide Cocle**
 scriptura. Vide infra de cōstitutioni **um de au-**
 bus humanis, titulo decimoquinto, **thoritate**
 5 Porro si plus viuere vis secun- **ecclesiæ**
 dum

B 5 dum

DE ECCLESIA ET

Sum scripturas, quam secundum auctoritatem ecclesiae, iam omnes Iudei venientes ad baptismum, ad legem Moysi tenerentur, quia sic reperirent in scripturis apostolos & alios conversos vixisse. Paulo a gentibus revertenti, dixerunt Iacobus & seniores: Vide frater quot sunt in Iudaeis qui crediderunt & omnes aemulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Mose eorum, qui per gentes sunt Iudeorum dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem, audient enim te superuenisse, hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis, impende in illis ut radant capita & scient omnes, quia quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodies legem, de his autem
qui

EIVS AVTHORIT.

qui crediderūt ex gentibus, nos scripsimus iudicātes, vt abstineāt se ab idolis, immolato, & sanguine, suffocato, & fornicatione: hic Paulus, cū multis millibus seruauit legem iussu Sancti Iacobi. Vis igitur Luthere conuersum ex Iudæis hodie, magis viuere secūdam scripturas illas, an secundum ecclesie authoritatem?

Fatemur ecclesiam esse omniū fidelium congregationem qui sunt de corpore Christi, ac quādo primates & potiores alicuius prouinciæ aliquid statuunt, tota prouincia dicitur statuisse. Sic prælati ecclesie dicuntur ecclesia, quia repræsentant eam, & subditos suos. Alioquin nūquam congregari posset ecclesia. Et Mattheus, 18. Quod si te non audierit, dic ecclesie, quod si ecclesiam nō audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Si quis vellet dicere ecclesie secundum Lutherum, oporteret perambulare totum orbem. Chryso-
stomus

De tertio

Mat. 18

DE ECCLESIA

stomus exponit. Ecclesiæ præsulibus scilicet præsidētibus, patet, q̄a mox apostolis tanquam prælatis dat potestatem ligandi.

Deut. 17

Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & nō lepram, & iudicium inter portas tuas videris verba variari, surge & ascēde ad locum quem elegerit dominus deus tuus, veniesq̄ ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicē qui fuerit illo tēpore, queresq̄ ab eis, qui iudicabūt tibi iudicij veritatē, & facies q̄dcūque dixerint, qui præfunt loco quē elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq̄ sententiā eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum

lum

ET EIVS AVTHOR. 11

Iū de Israel, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Vide potestatem sacerdotis legalis, quanta putas potestas sit sacerdotis euāgelici & pœnam expende inobedientis.

Facta seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidā alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac questione. Ecce quomodo impleuerunt illud Deut. 17. & quærat ecclesia, non tota congregatio, sed ascenderunt ad apost. & presbyteros qui repræsentabāt ecclesiam.

Si ecclesia est occulta, quomodo Christus præcepit dicendū ecclesiæ & si ecclesiam non audierit &c. Si autē esset occulta, quid posset ei dici, aut quomodo audierit? Similiter ecclesia corpus Christi, & Christiani mēbra. Ro. 12. 1. Cor. 1. & 12. Ephe. 1. 5. Coll. 1. 1. Dicat Luth, an illi fuerint occul-

Act. 15

Mat. 18

occul-

DE ECCLESIA ET

occulti, & solum mathematice eccle-
sia, quando dixit Paulus, Vos autem
estis corpus Christi, & membra de
membro. Hæreticorum est habere
criptas spelūcas & latebras, ecclesia

Luc. 11

ponit lucernā super candelabrum.
Monstratur tibi ecclesia in cōcilijs,
in sede apostolica, in episcopis &
prepositis, singularū ecclesiarū. Nā
si solum mathematica esset ecclesia
frater Pauli non haberet laudes per
omnes ecclesias. Nō diceret David:

2. Cor. 8

Psal. 21. 106

Apud te laus mea in ecclesia plebis.
& in cathedra seniorū laudēt eum.
Pro hoc vide Augustinum super ca-
nonica Ioannis, tractatu primo in
fine.

De quin.

Quod dixit Luther, dixerūt om-
nes hæretici. Ideo Augustinus inue-
hitur contra Donatistas, qui vniuer-
salem ecclesiam coartare volebant
ad angulum paucorum hæreticorū.
Plura vide apud Ioannem Cocleum
de authoritate ecclesiæ, & Roffen-
sem.

EIVS AVTHOTER. 17

fem. Inter veteres vide Ioannem
Turrecrematā, latissime pro eccle-
sia scribentem.

DE CONCILIIIS. II.

¶ Quia ecclesie authoritas plurimū
pollet in concilijs: iusto ordine
iam de concilijs acturi
sumus.

Celebrationis cōciliorū in ec-
clesia exēpla inueniūtur ab
apostolis in nouo testamēto.

Surrexerunt quidam de hæreſi
phariſæorū, qui crediderunt dicen-
tes, quia oportet circumcidere eos, præ-
cipere quoque ſeruare legē Moyſi.
Conueneruntq; apoſtoli & ſeniores
videre de verbo hoc, & infra poni-
tur decifio. Viſum eſt ſpiritui ſancto
& nobis, nihil vltra imponere vo-
bis oneris, quā hęc neceſſaria, vt
abſtineatis vos ab immolatis ſimu-
lachrorum, & ſanguine, & ſuffoca-
to, & fornicatione, à quibus cuſtodi-
entes vos bene agetis. Ecce conciliū
apo-

Act. 15

Applicat

apo-